
REGULAE IURIS

- I. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.
- II. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit, sine possessione praescriptio non procedit.
- III. Peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum.
- IV. Peccati venia non datur nisi correpto.
- V. Nemo potest ad impossibile obligari.
- VI. Privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum persona.
- VII. Semel malus, semper praesumitur esse malus.
- VIII. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.
- IX. Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari.
- X. Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori.
- XI. In iudiciis non est acceptatio personarum habenda.
- XII. Ignorantia facti non iuris excusat.
- XIII. Odia restringi et favores convenit ampliari.
- XIV. Decet concessum principe beneficium esse mansurum.
- XV. Indultum a iure beneficium non est alicui auferendum.
- XVI. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.
- XVII. Non est sine culpa qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet.
- XVIII. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.
- XIX. Quod semel placuit amplius displicere non potest.
- XX. Non debet aliquis alterius odio praegravari.

- XXI. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.
 XXII. Quod quis mandato facit iudicis, solo facere non videtur cum habet parere necesse.
 XXIII. Mora sua cuilibet est nociva.
 XXIV. Ea quae fiunt a iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.
 XXV. Scienti et conscienti non fit iniuria, neque dolus.
 XXVI. Quae iuri communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.
 XXVII. Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.
 XXVIII. In obscuris minimum est sequendum.
 XXIX. Eum qui certus est certiorari ulterius non oportet.
 XXX. Non licet actori quod reo licitum non existit.
 XXXI. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.
 XXXII. Generi per speciem derogatur.
 XXXIII. Plus semper in se continet quod est minus.
 XXXIV. Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.
 XXXV. Ex eo non debet quis fructum consequi quod nisis extitit impugnare.
 XXXVI. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.
 XXXVII. Pluralis locutio duorum numero est contenta.
 XXXVIII. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.
 XXXIX. Accessorium naturam sequi congruit principalis.
 XL. Qui tacet consentire videtur.
 XLI. Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.
 XLII. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.
 XLIII. Is qui in ius succedit alterius eo iure, quo ille, uti debet.
 XLIV. Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.
 XLV. Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.
 XLVI. In poenis benignior est interpretatio facienda.
 XLVII. Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.
 XLVIII. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.

- XLIX. Non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum.
 L. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.
 LI. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.
 LII. In re communi potior est conditio prohibentis.
 LIII. Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius interpretatio facienda.
 LIV. Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum: dolo facit qui petit, quod restituere oportet eundem.
 LV. Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.
 LVI. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.
 LVII. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.
 LVIII. Exceptionem obiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.
 LIX. Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.
 LX. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.
 LXI. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.
 LXII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.
 LXIII. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.
 LXIV. In malis promissis fidem non expedit observari.
 LXV. In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.
 LXVI. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.
 LXVII. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per semetipsum.
 LXVIII. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.
 LXIX. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.
 LXX. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.
 LXXI. Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.

- LXXII. Rationi congruit ut succedat in onere qui substituitur in honores.
- LXXIII. In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.
- LXXIV. Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.
- LXXV. In toto partem non est dubium contineri.
- LXXVI. In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.
- LXXVII. Qui contra iura mereatur bonam fidem, praesumitur non habere.
- LXXVIII. Bona fides non praesumitur, ut semel exactum iterum exigatur.
- LXXIX. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.
- LXXX. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur.
- LXXXI. Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputari.
- LXXXII. Infamibus portae non pateant dignitatum.
- LXXXIII. Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.

PRODROMUS CANONICI IURIS

Definitiones.

A iustitia vel a iubendo deductum est.	Vocabulum ius
Pro lege, iudicis sententia, loco in quo iudicatum fertur, vinculo necessitudinis, morali facultate aliquid agendi, debito iustitiae, arte et scientia boni et aequi.	Ius a iuriseconsultis ambigue ponitur
Quod iustum ex lege et ratione emergit.	Ius vere est
Certo certius Deum habet auctorem.	Ius divinum
Homines habet auctores, quos Deus in Ecclesia et Republica legum latores constituit. « Per me reges regnant... et potentes decernunt iustitiam ».	Ius humanum
Est ipsa voluntas Dei hominibus per rectam rationem promulgata, praecipiens intrinsece bona et prohibens intrinsece mala sub premii et poenae sanctione.	Ius naturale a natura procedens
Deum cole. Declina a malo et fac bonum. Quod tibi non vis fieri alteri ne facias, et vicissim.	Iuris naturae primariae praecepta
Voluntas Dei hominibus per revelationem promulgata, qua agnoscimus quaedam esse facienda quia praecepta; et quaedam esse fugienda quia prohibita.	Ius divinum positivum est
Est quod a Deo populo hebraeorum datum in Veteris Testamenti libris continetur.	Ius divinum positivum vetus
Est quod a Iesu Christo Salvatore nostro, omnibus gentibus datum in Novi Testamenti codice et in traditionibus apostolicis continetur.	Ius divinum positivum novum
Nempe caeremonialia, iudicialia et moralia.	Ius divinum positivum Vetus triplicis generis habet praecepta